



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

35. An coæci, vel ita oculis caligantes, ut legere nequeant, teneantur  
Horas persolvere, si illas memoriter sciunt? Et an saltem teneantur  
recitare aliquid loco illius, vel adhibere socium in ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

...libi mortali, Choro assistere: & Regularis cecus, secundum Pellizzarium, probabiliter non tenetur dicere officium cum socio, etiam se vitro offerentem; non video quare tenetur assistere, vt cum aliis persoluat Horas Canonicas. Et ita contra Pasqualium in terminis docet etiam nouissimè Ioannes Henricus in 99. ar. sect. 3. 5. quæstio. 22. Religiosum cecum non teneri recitare Horas Canonicas. Sed de hoc ego alibi.

8. Nec deseram hic apponere verba Escobar de Hor. Canon. quæst. 6. num. 38. vbi sic ait: Verius censeo contra Bonacinam, Clericum habentem Beneficium, esse ego sufficientes colligit fructus, non teneri condicere socium ad recitandum, & si cum eo possit recitare, non verò solus, quia Præceptum ad orandum obligat per se, non ad adhibendum socium; & si non potest per se, vt supponimus, ad nihil tenetur. Nec facit teneri adhibere media necessaria ad implendum præceptum recitandi, quia hoc intelligitur de medijs ordinarijs, vt est emere Breuiarium, non de extraordinarijs, vt est conducere socium, ad quod simile præceptum non obligat. At ex eadem ratione censeo, non esse tenendam illam opinionem eiusdem Bonacinæ de cecis, eorum, qui per se recitare non possunt, teneri socium adhibere, vt paulatim Psalmos memorie manderet; nam censeo ad neutrum teneri, quia neutrum præcepto continetur, & nimis durum esset, & molestum ad id illam obligare; etsi enim probabile sit quod cecus Breuiario, licet memoriter Psalmos absque Lectionibus tenet, recitare non tenetur Psalmos, quia per se absque Lectionibus Officium non constituit, quod est in præcepto, non Psalmi, multo magis probabiliter erit, quod cecus non tenetur Psalmos memorie mandare, nec ad id conducere socium, cum etsi eos memoriter tenet, recitare non tenetur, quare ita melius tenent Soto, 10. de Inst. quæst. 5. ar. 1. & Macignus de Hor. Canon. cap. 14. n. 9. Hucusque Escobar.

9. Sed si incidenter hic quæras, an cecus, qui non potest recitare maiorem partem Officij tenetur, recitare minorem, quam potest; Affirmatiuè respondet Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 46. num. 6. Layman lib. 4. tract. 1. cap. 6. dub. 1. & alij. Ratio est, quia, vt docet Caietanus 2. 2. quæst. 147. artic. 7. ad 3. & Nauarrus in Man. cap. 21. num. 27. Qui non potest implere totum præceptum Ecclesiæ, tenetur partem quam potest, vnde qui non potest ieiunare totam Quadragesimam, tenetur ieiunare partem, quam potest; & qui vult seruare castitatem, & matrimonium contractum, licet non possit totam seruare, quia tenetur recedere debitum, tamen tenetur seruare partem, quam potest; scilicet non petendo debitum, ita cecus qui non potest recitare totum Officium, tenetur recitare partem, quam potest, scilicet illam, quam memoria retinet, & si non potest solus, tenetur cum socio, quem habere commode potest. Hanc sententiam docet Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. de Horis, 4. num. 24. quæ ad 28. & in num. 24. docet hanc quæstionem non solum locum habere in impedimento infirmitatis, sed etiam in alijs; vnde bene inserit, qui tota die fuit legitime occupatus, vt nullam Horam diei dicere poterit, & ante mediam noctem potest saltem Completorium recitare, cur non obligatur; Et is qui Breuiarium non habet, tantum scit memoria Primam, & Completorium, cur non tenebitur illas Horas dicere, etiam si minorem partem Officij contineant, Et n. 27. dicit non esse veram generalem regulam pro omnibus casibus & impedimentis, videlicet vt qui non potest dicere tot Horas, vt contineant saltem maiorem partem totius Officij, nullam dicere tenetur. Eam sequitur Reginaldus lib. 18. cap. 13. num. 183. quæst. 4.

10. Sed his non obstantibus non desunt Doctores negatiuè sententiæ ad hærntes, nempe quòd, qui non potest maiorem partem Officij recitare, non tenetur ad minorem si potest; quia maior pars trahit ad se minorem. Et ita tenet Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 59. Filiucius tom. 2. tract. 2. cap. 9. quæst. 6. num. 294. & Azorius, tom. 1. lib. 10. c. 13. quæst. 5. qui loquitur in specie de cæco; vnde ego puto vt rumpere sententiam probabilem.

Sup. hoc in fra in Resol. 41. & in alij eius prius annor. & in Principio. præcedentis §. huius Ref.

RESOL. XXXIV.

An cecus sit ad scribendum Horas Canonicas recitare? Et quid, si memoria teneat maiorem partem Officij, an sit obligatus ad illam dicendam? Ex p. 5. tract. 6. Ref. 16.

§. 1. Sotus, vt ego alibi citauimus, dubitat de hac obligatione, quia accidentarium est, quòd memoria sciatur Horas, neque enim videtur iustum ob illam causam honestam onus hoc grave imponi, quod non imponeretur carenti illa. Ceterum nouissimè Castrus Palauis tom. 2. disp. 2. punct. 6. n. 11. putat sic tenentem memoria maiorem Officij partem obligatum esse ad illam dicendam, quia posita illius Officij memoria iam valet præceptum implere, & sine difficultate, ergo tenetur. Neque obstat accidentarium esse quòd Officium memoria teneatur, quia posito illo accidenti iam necessarium est te esse obligatum, sicut tempore interdicti accidentarium est te Bullam habere, qua conceditur facultas audiendi Sacrum, &c. At illa facultate posita non est accidentarium, sed necessarium, quòd præcepto audiendi Missam obligaris, sic in præsentibus; ergo, &c. Sed tu circa præsentem quæstionem ne deseras videre me ipsum in part. 4. tract. 4. resol. 11. vbi plures Doctores tractantes hanc quæstionem inuenies.

Alibi in Resol. & in Resol. præterita §. An verò cecus, & in tom. 7. tr. 1. Resol. 7. §. Quoad secundum & seq. & præterita memoria maiorem partem Officij supra cæsum in fine Ref. 32. &c.

Quæ dunt hanc sequitur.

RESOL. XXXV.

An cecus, vel ita oculis caligans, vt legere nequeat, teneatur Horas persolvere, si illas memoriter sciunt? Et an saltem teneatur recitare aliquid loco illarum, vel adhibere socium in recitatione Horarum? Et quid si cecus nihil ex Horarijs præcedens memoria tenet, vel saltem per partem? Et an si esset Beneficiarius cecus, & omittat Horas licet memoriter sciatur, non tenetur ad restitutionem fructuum? Ex parte 4. tractatu 4. & Miscel. Resol. 11.

Sup. hac præterita diffie. significanter in §. Puto igitur, Ref. 3. nec. seq.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Nauarro & Azotio, quos citat, & sequitur Faustus de Horis Canonicis lib. 2. quæst. 229. quibus adde Villalobos in summ. tom. 1. tract. 24. diffie. 16. num. 4. Reginaldum tom. 2. lib. 18. cap. 13. num. 185. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 28. num. 14. & alios penes ipsum, quia præceptum non obligat ad recitandum per librum, neque requirit vt conditionem necessariam dicendi potestatem per librum; ergo dum cæci possunt recitare memoriter maiorem partem Officij, ad illam teneri vtique dicendum erit.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in Ref. 1. post præteritam, §. An verò, & in tom. 7. tr. 1. Ref. 7. §. Quoad secundum & seq. & significanter in §. Puto igitur, & hic supra in Resol. 32. in fine.

2. Non desinam tamen hic adnotare cum Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 46. n. 5. dixisse Sotum de inst. lib. 10. quæst. 5. ar. 3. se non esse certum, O o 4 211

an cæcus, si memoriter sciat Horas, teneatur eas dicere memoriter, quia tenacitas illa memoriæ est accidentaria, quamvis, inquit, tutius sit ut se obligatum censeat, & cum Soto teneatur aliqui Magistri docti, & addit quidam recentior Magister, quod quantum ad festivitatem fructuum, certum est quod non teneatur si esset beneficiarius cæcus, ommitteret Horas, licet memoriter sciat. Hæc Sanchez, qui iudicat dictam opinionem Soti esse probabilem, nam quam ipse tenet, vocat multum probabiliorum. & Toletus *lib. 2. cap. 14.* simpliciter excusat cæcum. Sed tu non omittas contrariam tenere, quam etiam nouissimè tenet Oliuerius Bonapartius *de Horis can. lib. 2. c. 58. n. 2. 2.*

3. Notandum est tamen hic obiter contra Syluestrum *verb. Hora, quest. 4. dist. 3.* Angelum *n. 9.* Armillam *num. 16.* Tabienam *num. 20.* D. Antoninum *3. part. tit. 13. cap. 4. §. 15.* Paludanum *in 4. dist. 15. quest. 5.* & alios cæcum qui non potest recitare Officium diuinum, non teneri ad recitandum aliquid loco illius, quia cum legitime excusetur, ad nihil tenetur; sicuti qui excusatur à Missa audienda in die festo, ad nil tenetur.

4. Notandum etiam cæcum qui nihil ex horariis precibus memoriâ tenet, vel saltem perpartum, non obligari ad audiendam partem socii in alternatione; & rursus ad suam cum illo recitandam, quia non videtur præceptum humanum ad illam exactissimam diligentiam obligare. Ita Bonartius *loco citato*; an verò cæcus teneatur adhibere socium in recitatione Horarum, dicemus *infra*, & diximus etiam *in 1. part. tract. de Horis Canonicis, resol. ult.* non obligari.

## RESOL. XXXVI.

An Sacerdos cæcus, qui solus non potest persolvere Horas Canonicas, possit tamen alternatim cum socio, si illum ad manus habet, teneatur adhibere?

Et an, si Petrus non habet librum, in quo legat Horas, nouit aliqua memoriter, ita tamen ut non possit satisfacere, offert se socium, qui omnia scit memoriter, quod si Petrus cum illo recitare velit, possit exactè satisfacere, quæritur, an teneatur cum illo socio recitare Officium?

Et quid, si antea semper recitauerit cum socio? Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. Res. 3.

Sup. hoc in Resol. seq. & supra in Resol. 33. §. An vero, ad medium, & infra in Resol. 97. §. vii. in principio, & in fine, & cursim in aliis verbi eius annot. & melius in tom. 7. tr. 1. Resol. 7. §. Quoad secundum, & seqq. & hic superius in tr. 1. Resol. 102. §. Sed ad hoc, ad medium, & verbi eius, & c.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet cum multis Castrus Palauus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 6. num. 13.* & alij. Quia obligatis ex præcepto Ecclesiæ recitare: Sed hoc præceptum facile implere potes adhibendo socium. Ergo obligatus es illum adhibere. Quia obligatus es adhibere media ad exequendum præceptum, quæ tibi difficilia sunt. Dices, te esse obligatum apponere media per se ordinata ad præcepti executionem, secus media per accidens, & priuilegiata; usus autem socii non est medium per se ordinatum ad huius præcepti executionem, sed extra illam: Siquidem ex permissione Ecclesiæ, & quasi ex priuilegio usus socii conceditur. Aliàs si usus socii esset medium per se ordinatum ad huius præcepti executionem, obligatus esses illum conducere, quando gratis habere non posses, sicut obligatus es Breniarium emere? Respondeo. Et si usus socii non sit medium per se ordinatum absolute ad huius præcepti executionem, est tamen medium supposita tua impotentia aliter implendi præceptum.

2. His tamen non obstantibus negatiuæ senten-

tiæ adheret Caramuel in *Regulam D. Benedicti diff. 117. dub. 1. n. 1445.* vbi sic ait: Petrus non habet librum in quo legat horas, nouit aliqua memoriter, ita tamen ut non possit satisfacere, offert se socius, qui omnia scit memoriter. Quod si Petrus cum illo recitare velit, poterit exactè satisfacere; petitur an teneatur cum illo socio recitare officium.

3. Respondeo negatiuè, quia recitare cum socio est fauor vnicuique concessus, & nemo tenetur uti fauoribus inuitis. Ita alter Sanchez in *selectis diff. 41. n. 2.*

4. Quid si antea semper recitauerit cum illo socio? Nec tunc tenetur cum illo recitare; fauores enim talis sunt ingenij, ut nunquam cogant, aliàs essent grauamina, ergo qui illuc vsque illo fauore vsus est, poterit non uti cum voluerit. Ita Caramuel; vnde vtramque sententiam puto probabilem esse, vide me ipsum in *pa. tr. de Hor. Canon. Resol. ult.*

## RESOL. XXXVII.

An si aliquis impotens sit ad recitandum Officium socii, teneatur cum socio recitare?

Et quid si antea semper recitabat cum socio?

Et an vero in tali casu teneatur saltem Beneficiarius quærere socium cum stipendio? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Res. 2. 1.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Ioannes Sanchez in *selectis diff. 15. num. 2.* & alij: quos refert Garfias *de benefic. part. 3. cap. 1. n. 214.* quia recitare cum socio est priuilegium; ergo quis non est astrictus illo uti. Lessius autem *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 54.* & Garfias *ubi supra n. 215.* distinguunt; & Resol. nam si quis solitus est recitare Horas cum socio, adhibere illum tenetur, secus si solitus non sit. Excipit tamen Garfias, nisi socium quem gratis antea habebas, postea nisi cum stipendio sis habiturus. Ratio est, quia ita nullum onus speciale Clericis imponitur. Ergo, &c. Alij autem absolute affirmant in tali casu obligationem adesse cum socio Horas recitandi, si facile habere potes, siue antea vsus fueris illo, siue non. Ita Valentia *tom. 3. disp. 6. quest. 1. punct. 10. §. 7. in princ.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. c. 13. n. 183. ad finem.* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 13. q. 4. §. 6.* & alij communiter, quia obligatus es adhibere media ad implendum præceptum, quæ difficilia non sunt.

2. Sed difficultas est, si quis stare vellet in ista vltima sententia, an illa intelligenda sit, si usus socii gratis habeatur; an verò in tali casu tenetur, saltem beneficiarius quærere illum cum stipendio?

3. Affirmat Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 28. num. 12.* de beneficiatio; negat autem de Clerico simplici, & Religioso, quia horum obligatio non est ex iustitia, sed ex Religione. Sed Castrus Palauus *tom. 2. disp. 2. punct. 6. num. 14.* putat, quemlibet Clericum, seu Religiosum, si habeat vnde abique difficultate graui possit socium conducere ad secum recitandum, obligatum esse illum conducere, quia usus socii in persona impotentis alter recitandi Officium, est medium simpliciter necessarium ad huius præcepti executionem. Ergo si ex communi sententia obligatus ad hoc medium assumendum, obligari debet ad expendendos aliquos moderatos sumptus, si necessarij sunt ad huius mediij assumptionem. Hæc sententia est nimis rigida, & ideo libenter opinioni Sanchez adhaereo, imò ego puto probabiliter, quòd nec beneficiarius de rigore ad id tenetur, licet ad hoc facere consulendus sit, & ita hanc sententiam